

& honestè vixit. De quo probabile est, in fine vitæ, cum hinc decedendum esse animadvertit, totò se animò ad Deum convertere, & fiduciam in Christò salutarem concipere, adeoq; in Dominò mori. Ratio est, quia dum non tot habet impedimenta intra animum suum, divinos motus, per verbum in ipsò vel lectum, vel à Ministrò ipsi ingestum, admittendi ac is, qui in peccatis gravioribus habitum contraxit ac consuetudinem, habitus verò juxta regulam Philosophicam difficulter sit mobilis. Diverfus ab hoc est probabilitatis gradus, utroq; superiori debilior, cum quis plerorumq; judiciò impiè vivit, & quamquam nonnunquam pietatis exercitiis, utpote orationi, verbi divini auditui, sacramentorum usui & similibus, qualemcunque impendat operam, in his tamen vulgò pro hypocritâ, in cæteris impius habetur. Qui tamen in fine vitæ, quantum ex externis indiciis colligere licet, admonente & frequenter eundem excitante Ecclesiæ Ministrò, pœnitentiam agit, & inter devota suspiria & preces ex hoc mundo discedit. Nam & hic probabiliter in Dominò moritur, quia aliud ex externis indiciis pœnitentiæ n.p. demonstratione, colligere non possum. Cum nemini mortalium, nec *impio* quidem *morienti*, Ezech. XIX. 32. Divina gratia, adeoque pœnitentiæ janua sit præclusa. Est & alius probabilitatis gradus extremè nempe impiorum, qui nullò judiciò externò in oculos incurrente, pœnitentiam agunt, tamen, viâ ordinariâ, bonò cum judiciò, mit gutem Verstand/ moriuntur. Infimus præsumptionis est hic gradus. Quamquam in tali spes salutis exigua sit, tamen nec omninò est nulla. Nam & nobis etiam non advertentibus animum suum ad Deum elevare, & actâ pœnitentiâ in Christum antequàm moreretur credere potuit. Est enim cor hominis, mutabile & imperscrutabile. Jerem XVII. 9. Quùm denique nec huic præsumptionis gradui locus est, sed quis in flagranti peccatò notoriè moritur, ubi nec cogitationi amplius ulli locus est, utpote in duello. Da Knall und Fall eins ist. De his ne infimâ quidem probabilitate dicitur, aut dici potest, quod in Dominò moriatur, atque adeò sine grandi scandalò beati à veris Christianis prædicari, neque possunt, neque debent.

§. XIX. Patet ex his omnibus, non refragari Christianæ religionis Sanctitati, aut hominis verè pii officio, si suæ confessionis consortes, qui quocumque mortis genere, exceptò illò, quod indigitavimus, ultimò, hinc decedunt, quod & vulgaris atque quotidiana consuetudo præ se fert, ex charitatis Christianæ præsumptione beatos prædicemus. Ut adeò quæstio, supra à nobis proposita affirmanda omninò sit, dicendumque: *Salvâ*

*utiq;*